

si obstruuntur, & præcipuè rimula quæ Græcis *γλωπίς* dicitur, subito suffocatur animal. Aliæ viæ sunt circuli integri, qui sunt in substantia pulmonis, qui obstructi aut obturati faciunt impedimentum anhelitus, atque ita etiam suffocabitur animans. Virtus mouens, quæ in cerebro est, si aufertur, cessabit anhelitus. Principium viarum est ipsum cor: si cor impeditur, cessabit attractio: hi sunt tres modi, quibus impeditur anhelitus per se. Per consensum autem, ut si muscoli qui debent dilatari in eo quo dilatantur, coarctati fuerint à vicinis partibus: & hinc quot erunt impediens causæ, tot erunt rationes difficultatis anhelitus. Viæ etiam impediuntur, si à vicino comprimuntur: sic in principio motionis potest fieri impedimentum anhelitus communicatione, & ita processimus nunc vsque ad primas causas. Causæ læsionum primò in musculis sunt, aut causæ proximæ. Omnes autem causæ proximæ symptomati ægri tudines sunt, ex definitione morbi: vbi nulla est differentia inter actionem læsam & causas. Causæ antecedentes morbus sunt. Quia ab omnibus his coniunctis prouenit læsio: & causæ proximæ sunt morbi. Morborum autem tria genera sunt, in complexione, compositione, solutione continui. Cum igitur impedimentum in musculis est, sub quo continetur? Respondeo primò sub complexione sine materia. Calidum facillè potest per accidens exiccare musculum, & sic impedire motum. à frigido, ut in conuulsis: cum materia, ut ex sanguine inflammatio: ex bile erispelas: ex pituita, œdema: ex melancholia, scyrrhus. Secundò sub mala compositione in magnis obstructionibus, ut in paralyti, quando adest materia quæ obsidet viam, quæ est inter neruum & musculum. Ex solutione continui: si neruus frangitur, contunditur, impeditur. Causæ ergo antecedentes sunt repletio in toto corpore, vel in parte corporis, vnde fluunt materiæ, & impediunt motum, & possunt esse omnes humores, & serositas sanguinis. *αεχρηταεκπικη*, aliquis occurrens maximo frigori, vnde muscoli & diaphragma impediuntur ab actionibus. item cerusa bibita hoc facit: sic & fungi, generant enim humorem vitreum. Atque hæc considerentur, ratione musculorum mouentium. Deinde hic motus habet aliud impedimentum in principio motionis, ut in cerebro: quinto enim pari neruorum affecto, potest fieri impedimentum, non quòd muscoli sint affecti, sed principium motionis. Secunda causa per se, sunt viæ quæ possunt obstrui, & præcipuè rimula, quæ fit à tertia cartilagine. Studiosè relinquo aerem, à quo suffocantur: rarò tamen contingit, & maxime Neapoli, in istis balneis & antris seu cauernis, & in pestilenti aere: sed ea reducitur ad extrinsecas siue procatarticas causas. Quòd primò constringit huiusmodi vias per se, vel est in aspera arteria, vel in annulis paruis atque in pulmone: in his obstructionibus suffocatur animal, vel quod rarò contingit, cum indurantur omnes annuli: vel quòd sæpe contingit, & est quando rimula illa obstruitur primò & per se, sicut Anacreon poeta acino vix deglutito interiit. Similiter fiet ista suffocatio, quando muscoli annectentes tertiam

A cartilagine primæ, inflammantur & intumescunt. Reliquæ omnes fiunt per consensum, ut quando in œsophago fit inflammatio, vel quando prima & secunda vertebra dislocatur: fit enim hoc per compressionem cartilaginum. Mediores consensus sunt in illis musculis, quibus secunda tertiæ connectitur cartilagini: vel prima secundæ, sed non sunt acutissimi, sicut duo primi modi. Hactenus de causis vniuersalibus, nunc de particularibus. Occurrat modò qui laboret maximo dolore gutturis, cum difficili anhelitu: ad hunc accersitus Medicus, audit quòd habet difficultatem anhelitus: quid debet primò considerari? dolor enim est communis ad omnem inflammationem. Prohibetur autem respiratio, vel fit difficultas anhelitus: quia aliquod impedimentum est in illa rimula, per quam anhelitus transit, constringi itaque necesse est. Fit autem variis modis: vel quia muscoli proximi sunt impediti, vel quia reliqui intumescunt. Nomina modernorum sunt, quando inflammatio est in musculis interioribus, Græcis *κυνάγχη* dicitur, quasi strangulatio canina, quæ ita est perniciosa, ut statim suffocet: coguntur homines exere linguam, ideo canina dicitur. Hæc citò interficit: & ego vidi quandam matronam sic intra quatuor horas Venetiis in familia Corneliorum extingui. Quando vera est luxatio spondylium, *σπονδυλίτις* est, quæ accedit ad eam: quando contingit læsio in duobus paruulis musculis, in basi tertiæ cartilaginis, & quando in musculis annexis olsi hyoidi: tumor prouenit ad pectus, & sunt muscoli longi annexi primæ cartilagini. Tria sunt veluti relatiua inter se, causæ, signa & indicationes, quemodmodum de causis dictum est. Dicemus etiam de signis: signa quædam sumuntur ab intrinseco, quædam ab extrinseco. Intrinseco, id est à dispositionibus, quæ sunt intra corpus: extrinseco, id est quæ extra veniunt, ut aer, ratio victus, exercitiū, &c. Hæc non habent tantum artis, quia ea solum ab ægris quærimus. Quare in horum inuestigatione nihil est artificiosum, sufficit ut sciamus quot sint, & cognoscamus exactè. Ab intrinseco quædam pathognomica dicuntur, & sunt proxima ipsius morbi, & ab eo emanant tanquam umbra à corpore, & referunt morbum & locum affectum. Indicantia igitur proprium affectum dicuntur pathognomica. Quædam communia, quæ non propriè indicant morbum, sed aliquid commune: ut sunt grauitas, tarditas, velocitas morbi. verbi gratia, signum pathognomonicon in pleuritide sputum est citrinum, sanguinolentū: vrina cruda vel concocta non indicat ægri tudinem, potest in pleuriticis esse bona vrina, & æger moritur. mala autem semper malum indicat, multiplicantur enim incommoda. ita signa communia non indicant certò morbum aut locum affectum. Pathognomica dicunt habere duas cõditiones, vel saltem vnã earum: oportet enim ut perpetuò consequantur morbū, & vni morbo particulari tantum cõueniant: verbi gratia, difficultas anhelitus est signum pathognomon. pleuritidis, quia illi perpetuò cõuenit, sed nõ soli: orthopnœæ enim & angine etiam con-